Behm Martini: Senticetum Stagiriticum philosophicarum spinis difficultatum succrescens.

SENTICETUM
STAGIRITICVM
PHILOSOPHICARUM SPINIS
DIFFICULTATUM
SVCCRESCENS.
Sub Candido Lilieti Præmonstratensis auspicio
Inter amœnissimas Vernantium in BRYSZKIEVIANO Stemmate Rosarum areolas

EFFLORESCENS

Publicæ Ingeniorum Culturæ
In Violeto Arenensi

Sub tempus Comitiorum Provincialium Ordinis Patrum Beatissimæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo: Regul. Obseruantiæ,

PRODVCTVM

PER

R. P. F. MARTINUM BEHM. S. Theol. Lectorem, & in Studio Generali Cracouień Beatissimæ Virginis MARIÆ in Arenis Philosophiæ Regentem.

Respondente FRE. ANASTASIO HERMANOWSKI, *Subdiac: eiusdem Ordinis Philosophiæ Alumno.*

Anno pullulantis è Concluso Virginitatis Horto Floris Nazareni 1677. Mense Die Horis pomeridianis.

CRACOVIÆ,
Apud ALBERTUM GORECKI, S.R.M. Typog.

1.


Candida dum niueis turgent Tibi lila gemmis
Nata Tuam casto tingere lacte Togam
Purpureum roseo dum rubet Murice stemma
Seu Hyacinthino ? nomina flore nitent
In sero tunc uere quando sic omnia vernant
Ergo tibi semper Tempora Verna fluent.

PERILLVSTRI,

&

ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D. HIACYNTHO BRYSZKIEWICZ,

CANONICORVM REGVLARIVM SACRI

AC

CANDIDI ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS,

PRÆPOSITO ZWIERZYNECENSI,

DOMINO ac PATRONO COLLENDISSIMO.

BOno omine, quia sub Candido Lilieti Præmonstratensis auspicio, & cum florido Rosei TUI decoris adsensu Senticetum hoc Stagiriticæ difficultatis, non incultam eruditæ concertationis culturam auspicatur PERILLUSTRIS & ADMODUM REVERENDE DOMINE. Nouo equidèm prodigiò istæ etiam pullulant in Rosas spinæ: quas è Violeto Arenensi, non citra humanitatis Methaphoram translatas, TUIS hodie vernantium in Stemmate Rosarum Elisijs, TUÆ erga Nos, plusquàm millenæ gratiæ implantârunt. Et quidni à venustissimo hoc ab ipsa vetustate Frorilegio, vberem sui decoris apparatum, Nostræ etiam spinæ collegerunt? ex quo plusquàm ex Amalthea cornu, Copia; vernantissimæ pulchritudinis, in vniuersam campestris Poloniæ superficiem liberali meritorum impendio exundauit. Quidni augustus hic ROSARUM TERNIO, omnis exasse perfectionis capacissimus, in Victoriarum quoq; symbola, incruen-

cruentis Mineruæ certaminibus effrondeſcat? qui triumphalem in ſe trabeam, vel baſilico natality ſfulgoris ſanguine, vel illuſtri natiui hoc ruboris minio, explicat ad viuum coloratam. Roſeus certè, & aureo quouis pretioſior, Currus, Carthaginis tryumphatricem Æmiliani Scipionis fortitudinem, Romano inuexit Capitolio: Martij huius nec delicati omninò Floris collaterales ſpinæ, Empyrea demùm adita expunxerunt & expugnarunt feliciter, dum gentilitium illud Roſei Stemmatis laticlauium Trabeatis Cœlorum Curulibus, è Senatu Lechico Archipræſulem tranſcripſit Adalbertum. Quodſi erubeſcant eam congemito rubore maculam, Campanæ aut Mileſiæ aliorum Roſæ; quod fluxo imbelles genio, vel ad minimum ſeuerioris Boreæ aſſultum; pallidæ expaueſcant; at hæreditaria Martiæ quoq; virtutis Herba hæc, Herbam inclinata porrexit nemini: cùm ſemper potiùs ſuo ſub Manipulo militantibus ad Laureas glorioſè aſſurgat decerpenda. Cinxerit olim contextâ è Roſis Tæniâ coronatos, militum ſuorum vertices, Annibalis Triumphator Canalius: an vt victricibus Bellonæ Laureis, mitior quoque Flora, triumphale hoc ſertum pulchriùs innecteret: an vt hoſtili ſanguine cruenta ſatis Victorum purpura, hoc etiam affuſa Murice, dibapha veluti; ſereniùs radiaret. Sed veriùs è TUARUM *hodie* ROSARUM, *tanquam è ſybillæ folijs augurium expromo; optatum & meæ tenuitati trophæum, &* TUÆ *humanitati, perennem non marceſcentis gloriæ Palmam, in gentilitijs hodie Floribus vernaturam. Iam ergò* ROSIS TUIS *Comitibus, in Senticetum hoc Stagiriticum alacer deſcendo; ſpinas mihi interim expungendis difficultatum ſalebris apprimè idoneas relicturus,* TIBI *floridam è* TUISMET ROSIS *Lauream relaturus.*

PERILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDÆ

DOMINATIONIS TVÆ,

Humillimus Seruus,

FR. MARTINUS BEHM, S. Theol: Lector, ac in Studio Formali Conuentus Cracouien. Arenarij, Philoſophiæ Regens.

RESOLUTIONES EX PHILOSOPHIA RATIONALI.

I.
LOGICA.

Est vera, & propiè dicta, Scientia Practica. Obiectum ipsius Materiale sunt Voces, Res, & Tres Mentis Operationes: Formale verò *sub Quo* prædictorum iuxta præcepta sua Dirigibilitas. Artificialis, ad omnes Scientias acquirendas necessaria est secundum quid: ad difficiles tamen & obscuras, simpliciter, Moralitèr loquendo.

II.
COGNITIO.

COgnitio, quâ potentia cognoscitiua Obiectum sibi repræsentat; sub nomine Intentionis, in Formalem & Obiectiuam diuiditur: Vtraq; verò, in Primam & Secundam. Secunda Obiectiua subdiuiditur, in Secundam Obiectiuam Secundùm se, quæ est Concretum ex prin â intentione formali, & primâ Obiectiuâ; vt *Genus, Species* v. g. & secundam Obiectiuam Secundùm modum significandi tantùm, quæ, licet tale Concretum non sit, illud tamen significat; vt *Homo, Animal* v. g.

III.
ENS RATIONIS.

DAtur Ens Rationis strictè: illud autem est, vel Ens impossibile realitèr, quatenùs in anima Obiectiuè Secundùm esse reale possibilitabile; Vel Ens possibile realitèr, quatenùs in anima Obiectiuè secundùm esse reale impossibilitabile. Causalitas illius non tantùm intellectui Creato, sed etiam Diuino immediatè, sano sensû competere potest. Idem de voluntate, ac sensibus internis, non externis, dicimus.

DISTINCTIO.

DIstinctio in genere, in negatione identitatis inter Extrema, siue realia, siue rationis, formalitèr consistit. In Realem & Rationis adæquatissimè diuiditur: proinde nullam inter has mediam, quouis nomine vocatam, agnoscimus: sed ad distinguenda cuiuscunq; Entis realitèr simplicis prædicata, Distinctionem Rationis Ratiocinatæ, (esto quod sit adæquatè extrinseca) sufficere defendimus.

V.

VNIVERSALE.

VNiuersale strictè, ante præcisionem nullo sensu est reperibile: Causalitas ergo illius est præcisio, non quidem Obiectiua, sed sola formalis; quæ, neq; est actus Copulatiuus, neq; Disiunctiuus; sed Actus Confusus præcisè, dans pluribus vnitatem adæquatè extrinsecam: quam vnitatem etiam Voluntas, & sensus Externi, pluribus dare possunt: proinde facere Vniuersale. Diuisio Vniuersalis vt sic, adæquata esse non potest, nisi quinque Prædicabilibus, nobiscum Sextum addatur, scilicet Vniuersale Concomitans, eò sic appellatum, quod sit indiuiduus Comes Generis, Speciei, & Differentiæ; non verò Proprij & Accidentis. Definitur rectè: *Vnum aptum prædicari de multis, vt pars Materialis Essentiæ Singularis.*

VI.

GENVS.

GEnus definitur optimè: *Est vnum &c. aptum prædicari de multis, vt pars Materialis Essentiæ Vniuersalis.* Primò intentionalitèr Sumptum, in Abstracto est primum Prædicabile. Non prædicatur tamen de Specie, nisi vt æquale de æquali; cum solæ Prædicationes Concreti de Concreto sint veræ, exceptis Abstractis Metaphysicis æqualibus suis Concretis; & Concretis extrinsecè denominantibus. Sumptum Concretim, seu vt est primum Prædicabile, saluari potest in vnica Specie possibili, aliâ factâ impossibili. Jmmediatè indiuiduari potest sub conceptu; imò etiam à parte rei, saltim Diuinitùs.

VII.

SPECIES, ET DIFFERENTIA.

SPecies *est vnum &c. aptum prædicari de multis, vt tota eorum essentia Vniuersalis.* Primò intentionalitèr sumpta, quoàd perfectiones actuales intrinsecas, saluari potest in Vnico Indiuiduo, cæteris impossibilibus. Idem dicimus de Specie 2dò intentionalitèr sumpta, præcisè sistendo in ratione. Differentia *est vnum &c. aptum prædicari de multis, vt pars Formalis Essentiæ Vniuersalis*; & talis est respectu Speciei solùm personalitèr sumptæ. Superior non includit in suo conceptu formali inferiores, nec è contra.

VIII.

INDIVIDVVM, PROPRIVM, ET ACCIDENS.

AB Indiuiduis Logicis, prout definitis Materialibus in hac definitione Indiuidui; *est id quod de vno solo prædicatur*; potest abstrahi ratio communis Vniuoca secundò intentionalis secundùm se; à Metaphysicis verò formalitèr sumptis, ne quidem Ratio Entis est abstrahibilis. Proprium vt 4tùm Prædicabile, *est vnum aptum prædicari de multis, purè in quale necessariò & conuersim.* Proprium Physicum non pertinet ad hoc Prædicabile formalitèr, sed terminatiuè tantùm. Accidens vt quintum Prædicabile, *est vnum aptum prædicari de multis, purè in quale contingentèr*: vt tale sit, non debet actu esse in multis Subiectis, de facto existentibus.

IX.

PRÆDICAMENTVM.

PRædicamentum, est debita coördinatio Generum & Specierum, ab vno Supremo Genere vsq; ad Indiuidua. Nullo modo repugnat DEUM poni in Prædicamento. Et quia defendimus, omnia Prædicamenta ordinari debere in Abstracto, consequentèr resoluimus, quod Christus, quatenùs hic homo Physicè, in eodem collocetur. Inter multa Prædicamenta, Distinctio formalis per rationem sufficit.

X.

SVBSTANTIA.

SUbstantia est *Ens per se existens, in se Subsistens*: hæ tamen particulæ rectiùs explicari non possunt; quam per *esse id, quod vt Quo, vel vt Quod, in eo ordine in quo reponitur, est primò naturalitèr affectum forma, quæ dat esse subsistens.* Diuisio substantiæ in Primam & Secundam non est rigorosa.

XI.

QVANTITAS, ET QVALITAS.

QUantitas Prædicamentalis consistit formalitèr in partium extensione quâ extensione: cuius Species rectè assignantur Linea & superficies, non tamen vt distinctæ à Corpore. Quantitatem Molis non esse Accidens realitèr distinctum à Materia prima resoluimus. Qualitas *est Accidens Solidum Substantiæ duranti, & Vbicatæ realitèr aduenien*s.

XII.

RELATIO.

RElatio Transcendentalis est suo fundamento Essentialis quoad nos tantùm. Prædicamentalis verò, illi, & termino extrinseca, ab eisq; realitèr adæquatè distincta, & soli rationi formali fundandi identificata. Nulla terminatur ad oppositam Correlationem, sed ad absolutum tantùm. Nulla item

 exigit

exigit terminum actu existentem. Multiplicatis simul terminis, non necessariò; successiuè autem multiplicatis, ordinariè multiplicantur Relationes.

XIII.

PROPOSITIO, EIVSq; VERITAS.

PRopositio *est dictio completa per verbum.* Iudicatiua est Qualitas formalitèr simplex: cui, sicut & Vocali, ac Apprehensiuæ, etiam ab inuicem separatis, ratio Propositionis verè conuenit. Veritas formalis Propositionis, quæ est relatio Prædicamentalis conformitatis actûs ad Obiectum, est tam actui, quàm Obiecto Accidentalis, & adæquatè extrinseca: fundamentalis verò (saltim in Materia contingenti) actui Accidentalis, & inadæquatè extrinseca. Propositio singularis de præsenti contingenti, de vera potest fieri falsa. Propositiones verò singulares de futuro contingenti, consideratæ antecedentèr ad omne Decretum Dei de Obiecti earum futuritione, vel non futuritione, sunt determinatè falsæ.

XIV.

DISCVRSVS, SCIENTIA, OPINIO, &c.

IVdicium Consequentis formalitèr sumpti, in quo Discursus vt est tertia Mentis Operatio consistit, attingit Obiecta Præmissarum: Præmissæ verò iudicatiuæ, tantùm effectiuè Moralitèr concurrunt ad actum Conclusionis. Positis Assensibus Præmissarum, & Apprehensione de bonitate Consequentiæ, necessitatur intellectus, non solùm quoàd Specificationem, sed etiam quoàd Exercitium, ad assensum Conclusionis. Actualis Scientia, Fides humana, Opinio, & Error, de eodem Obiecto totali Conclusionis, in eodem intellectu simul naturalitèr compati possunt.

EX PHILOSOPHIA NATVRALI.

I.

PHYSICA.

PHysica est vera & propriè dicta Scientia, eaq; Speculatiua. Pro Obiecto Totali Materiali, habet Corpus Naturale, cum ei circumadiacentibus nonnullis; siue Corpus Mobile, si ly *Mobile* sumatur radicalitèr. Pro Obiecto verò formali *sub Quo*, Natutalitatem Corporis Naturalis, & circumadiacentium.

II.

PRINCIPIA PHYSICA.

PRincipia Physica strictè sumpta Corporis Naturalis, rectè definiuntur: *Quæ neque ex alijs, neque ex se inuicem, sed omnia ex ipsis fiunt.* Ad Corpus Naturale in fieri adæquatè substantialitèr sumptum, quinque Principia; Scilicèt, Materia, Forma, & Priuatio eius, subsistentia, & Priuatio eius: ad illud verò in facto esse, tria supradicta, præcisis Priuationibus, concurrunt. Generationis Corporis Naturalis, quod reipsa est à parte rei, vt Generationis, nulla Principia Physica strictè sumpta, assignari possunt.

III.

MATERIA PRIMA.

MAteria prima, quæ est primum vniuscuiusq; rei Subiectum, defacto datur. Est pura potentia Passiua sustentationis; non tamen Informationis, cum simul identicè sit Actus Informationis: neque etiam pura potentia Obiectiua, cum habeat Actum Entitatiuum, siue Existentiam propriam partialem, distinctam ab Existentia Formæ. Omnes Formas Substantiales, etiam corruptas, æqualitèr ex parte sua appetit; à nulla tamen existente, à Priori, vel à Posteriori pendet. Potentia ipsius formalis, per quam recipit formas Substantiales, realitèr distinguitur ab illa. Est strictè ingenerabilis & incorruptibilis.

IV.

FORMA SVBSTANTIALIS.

FOrma *est Actus Substantialis, vnam naturam per se completam, cum materia constituens.* Non est tota essentia Corporis Naturalis. Sistendo præcisè in ratione, quælibet Materialis, naturalitèr intendi & remitti potest. Variæ item formæ substantiales totales, non subordinatæ, si non habeant dispositiones contrarias, naturalitèr; si verò habeant, saltim supernaturalitèr, esse possunt simul in eadem Materia, tanquam Causa Materiali. Forma, quæ connaturalitèr educitur, Diuinitùs creari potest; & è contra, quæ creatur, Diuinitùs educi

 potest.

potest. In viuentibus nullam formam Corporeitatis, præter Specificam & vltimam, concedimus.

V.

SVBSISTENTIA.

DAri Subsistentiam à natura realitèr distinctam, satis euincit Mysterium Incarnationis, quam in Positiuo consistere defendimus; effectum eius formalem assignantes, vltimum Terminum Substantialem Naturæ. Materia & Forma subsistunt subsistentiâ vnâ totali & indiuisibili. Natura Creata, etiam naturalitèr, sine omni subsistentia existere potest. Eadem tamen Natura, nonnisi supernaturalitèr, terminari potest duplici subsistentia, vtraq; vel propriâ, vel alienâ; aut vnâ propriâ, & alterâ alienâ. Forma Accidentalis est per se immediatè assumptibilis à Personâ Diuinâ.

VI.

VNIO, ET COMPOSITVM.

IN naturali Composito, Vnicus tantùm & simplex reperitur modus: qui secundùm suum Conceptum Genericum, *est duorum realitèr distinctorum Vnio*: Vnde primæ Qualitates, & aliæ duorum non vnitiuæ Actiones, non sunt Modi. Vnio ab Extremis etiam indistantibus, & dispositis &c. realitèr distinguitur: in Homine tamen Generationi; in Composito verò ex forma Materiali, Eductioni realitèr identificatur. Est intrinsecè Accidentalis, & solùm extrinsecè Substantialis. Compositum seu Totum formalitèr, non est Entitas ante intellectum ab Extremis & vnione coniunctim sumptis, realitèr distincta; sed Denominatio Conceptûs totalitèr illis extrinseca.

VII.

CAVSA.

CAusa in genere, *est Principium communicans esse rei.* Materialis & Formalis, ad causandum in suo genere, requirunt Existentiam sui realem: non ita Causa Efficiens, cum ne quidem Existentia Principij *Quod* immediati in virtute requiratur, modò hoc paulò ante præcesserit. Materia, & forma in genere Causæ formalis, naturalitèr; in genere verò Causæ Materialis, supernaturalitèr se mutuò causare possunt, quoad esse negatiuè primum: idem de Causa Efficiente & Effectu in suo genere dicimus. Imò & eodem instanti reali, quo Effectus à Solo DEO v. g. producitur, potest supernaturalitèr dare sibi primum esse, per actionem negatiuè primam. Non implicat, posse naturalitèr à duabus Causis Totalibus, produci eundem Effectum.

VIII.

CAVSALITAS.

CAusalitas eductiua est aliquid realitèr distinctum à Causa Efficiente, Termino, & omnibus ad agendum prærequisitis: Passioni tamen, etiam quâ receptioni formæ in subiecto sustentationis, realitèr identificatur, & in solo ipsius Subiecto recipitur. Potentiæ & Actiones, tàm immanentes, quàm

tran-

transseuntes specificatione formali specificantur; à prima intentione formali Vniuersalificante: specificatione verò fundamentali à communi Philosophorum iudicio. Omnis Actio productiua cuiuscunq; Substantiæ sublunaris, substantiam & Accidens tanquam Principia immediata *Quo* respicit immediatè.

IX.

CAVSA INCREATA.

Causa increata ad omnes Causarum Secundarum Actus, tam necessarios, quam liberos, etiam malos, immediatè concurrit, non solùm Concursu simultaneo, sed & Præuio aliquo Physicè efficaci, qui est aggregatum ex omni Concursu DEI ad omne id, quod se tenet ex parte Causæ Causantis, prout Causa Causans præcisè à sua Actione condistinguitur: cum quo adhuc stat; Determinationem necessariam ad Indiuiduum, vt hoc præ cæteris infinitis ponatur, sic esse ex natura Causæ Secundæ, vt à DEO, nec absolutè ad vnum, nec disiunctiuè ad hoc vel illud determinante, esse possit.

X.

CREATIO, ET ELEVATIO.

Creatio strictè, *est productio rei ex nihilo, siue sui, siue Subiecti*; à Creante & Creatura realitèr distinguitur. Attentâ solâ ratione naturali, vis Creandi est connaturalitèr communicabilis Creaturæ, vt Causæ principali. Datur Potentia Passiua Obedientialis ad recipiendum quamlibet formam, non alligatam Essentialitèr determinato Subiecto. Similitèr etiam datur Potentia Actiua Obedientialis ad producendum quemlibet Effectum, non alligatum Essentialitèr determinatæ Causæ. Substantiæ, & Accidentia, toto tempore quo durant, directè & Substantificè conseruantur ab illis omnibus Causis, à quibus primò productæ sunt, licet hæ tùm non existant.

AD MAIOREM
DEI PRÆPOTENTIS GLORIAM,
NEC NON
GLORIOSÆ VIRGINIS MATRIS,
SINGULARIS CARMELITARVM
PATRONÆ,
HONOREM.